



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Methodus S. Ignatii De Loyola Ducens Animam ad Perfectionem per Exercitia Spiritualia**

**Vatier, Antoine**

**Dilingæ, 1689**

Præfatio Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60263)



# PRÆFATIO

Ad

## LECTOREM.

**L**ibellus Exercitiorum Spiritualium S. Ignatij de Loyola, Societatis JESU Fundatoris, etsi mole exiguus sit, tantum tamen hodie in Romana Ecclesia pondus habet, ut nullâ penitus opus sit commendatione, quâ utilis, ac fructuosus predicetur. Pietas, & Reverentia, quâ Christi Fideles amplectuntur Decreta Sanctæ Sedis, quæ ipsum singulari Bullâ approbavit, Ejusque usum omnibus summopere commendavit, Auctoritas magna perfectæ, & omnibus numeris absoluta Virtutis, quâ ipsius Auctor eminuit, ipsa denique Experientia infinita prope multitudinis, quæ incredibili animarum commodò, sacris hisce Exercitijs se excoluit, planè efficiunt, ut hic libellus ubique excipiatur, velut Opus ab ipso Spiritu Sancto, Militi, nullis adhuc Litteris instructo, dictatum, quem Divina Majestas ex eo tempore ita ad obsequia sua erudijt, ut deinceps cum suâ, tum Filiorum suorum operâ ingentem hominum copiam ad Conditoris sui cognitionem cultumque perduceret.

Exi-

PRÆFATIO.

Existimatio hujus libelli fecit, ut omnes propè Religiosa, Deoque sacra Familia, præter maximum aliorum hominum numerum, alio hanc sibi legem statuerint, quâ obligati, volunt singulis annis semel in secretiorem se locum recipere, æturi familiarius cum DEO juxta modum, ac methodum à magno hoc Patre præscriptam.

Nimia autem illorum copia, qui se instrui cupiebant, penuriam Directorum induxit; quapropter plurimi omnis Generis homines, hac necessitate compulsi, Spiritualia Exercitia tradere, & per sacram solitudinem, ad familiaritatem cum DEO consuetudinem animas deducere conati sunt. Sed frequenter accidit, ut magna pars, non tam ex contemptu, quàm quòd Genuinam Libelli S. Ignatij Ideam non bene sibi impresserit, Meditationes omnino ab illo diversas, verbò simul & scriptò protulerit: & licet sint, qui quotannis magnò numero Sacram se Ascesi exerceant, pauci tamen reperiuntur, qui Directionem, & Methodum, fideli huic seruo suo traditam sequantur.

Quidam foriè in hanc se solitudinem abdidderunt, quòd sibi persuaserint, Meditationibus illis magnam quidem vim inesse, sed que incusso sacro horrore peccatores percellat, ut ad

Salu.

P R Æ F A T I O.

Salutis iter revocentur; Perfectis autem, aut Sanctioris Vita Studiosis non admodum prodesse, nec in virtutis tramite jam positos vehementer provehere. Alij judicârunt, illas nec succo satîs, nec medullâ esse refertas, quòd breves nimis, ac sicca viderentur. Nonnullis dubium fuit, an satîs idonea essent, ad permovendos hominum animos, ut generosò Decretò, se totos DEO committant. Videntur aliqui ideo illas abjecisse, quia quarundam Meditationum nec scopum, nec, qui ex illis colligi debet, fructum perspexerunt.

Atque ex his fontibus profluxit, ut relictis S. Ignatij Exercitijs, alia atque alia typò expressa, & in usum redacta sint; qua tamen ego, dum manum calamo admoveo, nec vituperare, nec contemnere cogito; cùm DEVS ipse tam laudabilem operam felici successu donârit. Hoc solum ago, ne fons ipse, & origo, ex qua tam præstantes Rivî promanârunt, velut per oblivionem negligatur, cùm aqua, qua hinc scaturiunt, suâmet naturâ salutes sint, & ad delicias sapida.

Neque, ut arbitror, iniquò feres animò, Chære Lector, si pro honore Patris, Filius laborem, ejusque sequendo Consilium, ad majorem Conditoris mei gloriam, S. Ignatij ad Sacra  
Exer-

PRÆFATIO.

Exercitia veram Methodum, quanto possim studio, ita te doceam, ut clarè intelligas omnes propè meditandi modos, qui hucusque prodierunt, etsi optimi atque excellentissimi sint parùm tamen ad mentem S. Ignatij accedere, nec ulla esse Sacra Exercitia, quæ omni hominum generi ita seruiant, & ad sublimem perfectionis gradum viam ita aperiant; quæ item plus suauitatis, & consolationis afferant, ac majori efficacia cor humanum, ad præstandum suum debitum impellant, quàm hæc ipsa, quæ S. Ignatius præscripsit. Ex his nulla omnino pars est, quæ non, maximò sanè iudiciò, suum sibi locum vendicet; ordo autem ipse, & quam deprehendens, connexio, iustæ plena est admirationis. Si abs te impetravero, ut dignam honore S. Ignatij, de illis existimationem concipias, spero equidem, experientiam ipsam te subinde docturam, illa nonnisi ad maximam DEI gloriam collimare; qui uti Ecclesiæ suæ tam nobile assequendæ Perfectionis Instrumentum operâ serui sui, concessit; ita videtur illud in eam, quæ optima desiderari poterat, formam rede gisse, ad illorum maximè progressum, quibus volupe est, Sacris hisce Exercitiis ad maiorem infinite suæ Bonitatis honorem & gloriam invigilare.

INSTRU.